





CAROLO EMMANVELI
I I.

ALLOBROGVM, ALPINORVM, NICIENSIV

Cypriorum, & Partis Liguriæ

AVG TISSIMO REGI

De Allobrogico FERT, & Nicæna Vrbe

PANEGYRES

Petro Andrea Trincherio Niceno I. C. Auctore





NICIAE.

Typis Ioannis Romeri 1666.
Superiorum permissu.



ALLA REALE ALTEZZA

DI CARLO EMANVELE II.

Duca di Sauoia, Prencipe di Piemonte, Rè di Cipro & ç.



Auendo io (Augustissimo Sire) nelle passate feste Natalitie subodorato, che V. R. A. doueua per la prima volta dall'Augusta Città del Toro giorger in questa non meno Augusta dell'Aquila, hò subito come vno de'ben'auenturosi Cittadini di essa fedelissimi Sudditi di V. R. A. risoluto venirla in questo Reggio Pallazzo riuerire, mà per che non deue alcuno per legge diuina comparer vacuo auanti suo Sire, perciò dubioso di che cosa hauessi à tributarlo, hò richiesto l'Autore della presente Opereta à somministrarmi materia alla grandezza di V. R. A. & sincerità del mio desiderio in qualche parte confaceuole, quindi mi hà rimessa tal'Opereta contenente doi Panegirici vno dell'augustissimo Fert, e l'altro di essa Città dell'Aquila, cioè di Nizza, che vuol dire Vitto-

ria

ria, e mi hà protestato lo scusassi, come non vi è in essi cosa di grande, eccetto il Nome di V. R. A. & la materia, di qual si trata, perciò Io desideroso nobilitar detta Operetta, e la mia Stampa, hò giudicato mio douere il venirgli con essa dedicare miei poveri, mà ossequiosi talenti, quali priego non si sdegni V. R. A. di accettarli come segno, e pegno de miei ossequij, mentre per fine le auguro dal Cielo l'Auge d'ogni felicità facendoli come à mio Sire profondissima Riuerenza da Nizza li 16. Gennaro 1666.

D. V. A. R.

Humilliss. e Deuotiss. Suddito
lo Stampator di Nizza
Gioanni Romero.

DE ALLOBROGICO FERT

Elogium, ac Vaticinium.


Loriosis adeò titulis, ac meritis Allobrogica Domus fertilescit, (Princeps, ac Rex Augustissime, Illustriss. atque Excellentiss. Proceres, cęterique Auditores ornatissimi) adeò inquam fertilescit, vt in illis recensendis malè obstetricante memoria sterilescam. Ecquis innumeras tot Principum virtutes enumeret? Ecquis pręclaros tot Heroum triumphos efferat? Ecquis reportatam tot Stēmatum gloriam satis exornet? Video hìc Alcidas fortissimos, Atletas inclytos, incōparabiles Agonothetas. Video Saxonicum Sanguinem, Regales Animos, Imperatoriam Maiestatem. Video Comites gloriosos, insignes Duces, Principes supremos, Coronatos Reges. Video Crucem deargentatam, purpurascētes campos, Leones triumphatores. lego Elogia pręstantissima, doctissima Emblemata, nobilissima Epinicia. Intueor Amedeidam seriem veluti à Cauda fortunatim deductam. Non ignoro Virides Animos, Rubeos Spiritus, Sāctissima Pectora. Contemplor stelligeros

ignes, ſolem irradiantem, virtutum omnium Apogæum, Nè tamen oculorum aciem tot ſplendores nimiùm perſtringant, in albicantem dumtaxat collimo Crucem, & propè illam, aureos inſerti FERT caractères interpretor, vt ſanè illud Allobrogicæ Familiæ Stemma nobilius primò materialiter, indè formaliter, demum virtualiter accipiatis, quę dùm breui orationis ambitu probaturus accingor, ſolito me attentionis fauore proſequiminor.

In primis (quoniam materialiter huiuſmodi vocem FERT rimandam ſuſcepi) Nominales imitabor, qui ſolam vocabulorum naturam ſpeculantur, vel potius Poetas, qui ſyllabatim ea, litteratimque dimetiuntur. Et ſanè mihi ſtatim meditanti quadrimembre huius ſi llabę corpus occurrit, non ſecùs quam Phyſicum aliquod compoſitum quaterna elementorum virtualitate compactum. Neque poterat quartus Amedeus, niſi litterarum quaternitatem tetruplici moralium virtutum munitus adminiculo reportare, cùm nimirum hunc numerum reliquis perfectiorem è nonullis Phyloſophis edoceretur. Quandoquidem totidem partibus Arctòis, Auſtrinis, Eòis, & heſperijs vniuerſus orbis diſtinguatur. Ipſa quondam Tellus mutila, atque imperfecta videbatur

 tur

tur, nisi Columbi sedulitas quartam illi partem tam quam vltimum complementum addidisset. Quatuor sensuum internorum elucent facultates, quibus notio cuncta procedit. In nostro corpore quaterni ebulliunt humores, quibus certatim fęderatis, ac fęderatim certantibus mirum in modum cõseruamur. In tot temporũ vices secatur Annus ternatim quadripartito Zodiaci ordine. Rerum veritas quadrùplici directè sijllogizandi modo inuestigatur. superna Ciuitas in quadro posita est vt semper existat immobilis, atq; immobilitatis repręsentet Auctorem. Quin imò Deus quolibet penè idiomate pronunciatus quaterno semper caractère litterascit, adeò hic numerus perfectionis est Hyeroglificum. Neq; sanè inconsultò euènit Cęlo, vt Amedeus cognomentò Magnus inter gentilitia Stirpis Allobrogicę nomina quartus insereretur, nàmq, ex illo facilè poterat pręsagiri, ipsum familiam suam nobiliori Stémate illustraturum. Factũ accipite vbiq; terrarum deprędicandum. Quatiebatur hinc indè Rhodos, cùm vndequàquè barbarici fremerent hostes, ac penè victricibus lauris coronarentur. Has tamen inter angustias sese intulit Allobrogicus Heros, qui solùm quaternato syllabato nomine immanes

Eumenidum circũfrendentium animos exanimauit. Sic ille dubiam ęgris populis fiduciam confirmauit, deficiẽtem Equitum gloriam bellicis ardoribus inflammauit, dedecoratum penè Insulę decus effuso Turcarum sanguine colorauit. Post hęc toto Nobilium Cętu annuente, atque adeò postulante quadrifidam Crucem suscèpit, vt verè (In hoc signo vici) vti nouissimus Cõstantinus sanctissimè gloriaretur. Nè verò tantus triumphus vllo vnquam tempore taceretur, quaterni sunt additi caractères, qui semper eius rediuiuam gloriam cunctis populis, cunctis regionibus, cunctis sęculis tacita eloquentia rhetoricarentur. Conferte modò tot Principum nostrorũ elogia, conferte infinitas victorias, cõferte Regales titulos, nil profectò inueniètis nobilius huiuscemodi augustissimo F E R T, quod Coronidem intulit Allobrogicę Magnitudini. Taceo libenter tot pacis inimitabilia exempla, tot disciplinæ militaris insignia, tot præclara Sanctitatis argumenta, quippè in vnico Amedeo cuncta adeò cumularim aggerata perspiciuntur, vt ipsum iure optimo Magni cognomine augustarint. Prudentiam festinata victoria, fortitudinẽ euentus, Crux pietatem, Encomia caractères comprobarunt. Ecce igitur ab initio quàm

non

non temerè istud materialiter Allobrogum Ducum Stemma nobilius proposuerim.


Verùm, vt etiam formaliter ipsum præstantius intelligatis, videte quæso sydeascentem Crucis pompam tanquam in Arctico Polo constitutam, legite breues notas, sensum elogijs grauidum speculaminor. Eccè illud FERT, quod Italicè, porta, significat, cùm verè ad Herculeas metas nomen Allobrogicum asportârit. Est Porta, per quã gloriarum transit multitudo. Clauis est illa Crux, quæ aditum pandit ad Victorias. Imò eam crediderim quadriquetrum Euangelij currum, qui euehat in Cœlum reportatum de Barbaris Triumphum, Columnam summâ Absyde tot generosa Trophęa fulcientem, Vectoriam Nauim inter Astra lucidiora collocádã, signum in sublimiori Empireo constituendum.

Nè verò Patres Amplissimi, vltrà propositum vagari videar, id mihi concedite, nimirùm, vt in illo FERT, paulò liberiùs delicier, ac peruager. Sic enim istud etiam virtualiter sublimius Allobrogum decus ostendam. Accipite modò recondita mysteria, penetrate arcanas abyssos, primęuam Originē intelligite

FERT Fortitudo Eius Rhodon Tenuit.

Equidem Vatem hic agam, non Oratorem; è quadri-

dripode Amedeio, non Tripode Delphico certissima depromam oracula, Gordianos plusquam nodos enodabo. Regium nostrum alloquar Ducem primò illi ominans in domestico, atq; augustissimo FERT.



F E R T

Fulgidus Emicas Regali Trono.

Fulgidus in solio, Princeps, stellascis Auito,
  Regalesque animos, Imperiose, refers.
Sic Aryadnææ scintillat pompa Coronę,
  Aut Berenicęo in vertice flauet honos.
Lux tua sed maior; nàm si niger ingruat horror,
  Astra latent, sed tu luce priore micas.

Ex hoc lucis tuæ radiamento veluti virtutum omniũ Frontispicio speciosissimè deinceps pręauguror.

F

7

F E R T.

Florebunt Eternum Res Tuæ.

Pleyades in te, ſęuuſque armetur Orion,
Ac toruo Martis fulminet igne Polus.
Syluifragus gelidâ Boreas deſcendat ab Arcto,
Ac moueat Regnis tetrica bella tuis.
Res tibi florebunt ſemper: nàm fortiùs illi
Exultant Flores, qui ſuperant hyemem.

Tanta florum tuorum fęlicitate, bonorum videlicet operum, odore fragrantiſſimo pellectus mirificam rebus tuis vaticinor vbertatem, proindè

F E R T.

Fertiles Erunt Res Tuæ.

Dura Gyganthœę redeant certamina dextrę,
Et fines lacerent ſaguinolenta tuos.
Non eſt, cùr timeas: fæcunda ſuperbijt Hydra,
Interque innumeras eſt reparata neces.
Sic magè luxuriat, ferro cùm ſaucia, Laurus,
Editiuſque vehit cernua Palma caput.

Hinc tuis quaſſatis vndequàquè viribus animoſior prodibis Alcides.

F

F E R T.

Faciliter Extendes Rerum Terminos.

Macte noua virtute Heros: tibi mille pericla,
 Impendent, capiti gloria summa tuo.
Eumenides surgant, nec non Briareia turba
 Sæuiat: haùd ægrè vincere cuncta potes.
Quò magis angusto versabere limite rerum,
 Amplior Imperij cedet habena tibi.

Sic rerum ampliatus angustijs, & domesticorum exemplorum non destitutus incitamentis.

F E R T.

Ferendo Euinces Reluctantes Turbines. vel Furentium Eiectantes Refrenabis Tumores.

Eminùs insultent cathaphracti, & cominus hostes,
 Ac latus angustent agmina mille tuum.
Non tamen ipse cades; surges animosus ad arma,
 Haùd secus ac Proauus, cùm tuba rauca strepet.
Nimirùm superanda tibi fortuna ferendo est:
 Quid non dura pati, atque aspera sæpè iuuat?

Tot gloriose exantlatis laboribus vberrimo sudorũ tuorum fructu vegetaberis, quippè

F. E. R. T.

Fausto Eris Regimine Tutus. seu,
Fœlix Eris Regnorum Terminis.

Vt varios casus, exantlatosque labores
Viceris, hostiles expulerisque minas.
Tùnc fęlix populos diuturnà Pace fouebis;
Festiuas rediment aurea serta comas.
Non equidem valet esse quies fęlicior illà,
Quam longus peperit Martis in arte labor.

Parta igitur tibi, populisq; tuis fę'icissima tranquillitate, maiorum, imò Semideorum tuorum gestis amplissimis indefessus veluti Gygas inhęrebis, quòd

F E R T.

Facinora Egregia Restant Tibi.

Annales euolue tuos, vt clara Parentum
Acta legas, quantus Marte, togàq, vigor?
Quę Pietas? quę Relligio? quę Regula Morum?
Quę lux Allobrogum, nobilitasq; Ducum?
Magnanimum sic pectus ages melioribus ęstris.
Nàm tibi, vaticinor, Grandia facta manent.

Hinc eo quasi agitatus enthusiasmo, lumine quodā

atque adeò Numine intrinsecùs impellente ad gloriarum celsissima fastigia vti grandior Aquila properabis, vnde.

F E R T.

Famam Extendes, Regnumque Tuum.

Inuideat fortuna tibi, Regnumque lacessat,
Nempè argumentum prosperitatis erit.
Nàm clypeum assumes, rigidoq; armabere ferro,
Prępetibusq, alis hostica terga premes.
Sic famam extendes, raptosque lucrabere fines:
Sępè suo fiunt danna lucrosa Duci.

Quę vt ocyus assequaris propriâ thoracatus virtute moras omnes disrumpe,& in quęcunque discrimina quasi impatiens, atque audentior ito, siquidem

F E R T.

Fulmineo Ense Recuperabis Totum.

Dextra rotet ferrum, flammęq; in pectore gliscant,
Oppida, quæ passim sunt tibi capta, cape.
Sic Proauus, cùm rapta forent sibi regna, resumpsit
Hæc eadem ferro, fulmineàque manu.
Aude opus egregium: fortuna rotabilis extat,
Hinc ea, quę rapuit mòx tibi, restituet,

Re-

Recuperato poſtmodùm Regno extra ſe quocumque Regno ſublimior Animus, & nullis vnquàm deprimendus infortunijs exilibit, quamobrem

F E R T.

Frænabis Effranes, Rebelles Tenebris.

Tartarus exultet, populique in nocte ſepulti
Detrectent placidi fręna benigna Ducis.
Poſt tenebras ſperent Lucem, ſplendeſcere cernent
Phębęos clypeos, fulmineumque iubar.
Nàm tibi conceſſum gentem frænare rebellem,
Quò non ſperatum ſentiàt illa diem.

Sic diffuſa tuarum militarium pręrogatiuarum perſpicaciſſima luce ſtygiales vndequaquæ caligines diſſipabis irruens in morem fulminis coruſcantis, quapropter

F E R T.

Frænum Eris Rabido Tartaro.

Eumenides ſurgant è marceſcentibus vmbris,
Et Stygia ſędent Regna ſeręna luce.
Vix ferrum obijcies, & formidabile robur,
Cùm repetet ſuiuos territa turba lacus.
Palentem vinces ſic prodigialiter Orcum,
Et fræno arctabis Cerberon ipſe tuo.

 Vic-

Victo deinceps, vinctoque Cerbereo monstro clauâ plusquam Herculeâ tui nominis augustissimi, quod est EMMANVEL, nobiscum scilicet DEVS, Magni VICTORII, nec non Victoriȩ dignissimum incrementum te in amplissimo mundi theatro exhibebis.

F E R T.

Fulgido Euectus Relucebis Triumpho. vel Fortunatum Emmanuel Reportabis Trophaū

Post domitas Furias, debellatumq; Baratrum,
E Patria in Patriam clara trophæa geres.
Te currus sublimis aget, Gebenna sequetur
Supliciter tristis, multaque collacrymans.
Hoc vtinàm eueniat, Superi accelerate triumphum,
Vrbs eat vt lacrymis imperiosa suis.

Ex hac ritè augurati triumphi celebritate res tuę ad summam veræ prosperitatis Absydem proueherentur

F E R T.

Fama Efferet Res Tuas.

Sic vbi tàm clarum tuleris virtute trophęum,
Atq; reportatas traxeris exuuias:
Fama tuum extendet Gaditana ád littora nomen,

Ac toto laudes concinet orbe tuas.
Perge, perettato terra tua Regna profundo,
Cùm res fama tuas efferat antevola.

Hinc armatus, imò tàm alta fęlicitate animatus Regiam Cypros Insulam acquires ægrè ferens tàm amplum Regnum fuisse à tuis màioribus iniquè ereptū & à Turcis in hodiernam lucem fędè occupatum igitur

F E R T.

Fulmineos Ensium Rotabis Turbines.

Eia age, cùm vastum curuà trabe fregeris æquor,
Te Cyprio sistet fessa carina solo.
Hìc clypeo rutilans, ac luce coruscus ahena
Incipies fines amplificare tuos.
Namq; vbi fulmineum vibraueris aduena ferrum,
Orbe peregrino non peregrinus eris.

Quò vbi classe ad hoc parata veluti nouus Typhis accesseris aureum vellus, imò auream Insulam reportaturus,

F E R T.

Ferox Efferas Regiones Terrebis. vel

Feram Edomabis Reluctantiam Turcarum.

Obstabunt rabidi montano è vertice Turcę,
Victori cursum quò resecare queant.
Haùd tamen aufugies positis inglorius armis,
Sed ferro euertes culmina cella tuo.
Nimirum natura nihil tàm vexit in altum,
Quò niti virtus feruida non valeat.

Tùm parta Victoria, nondùmq; illius fructu degustato nouis versaberis, atq; vexaberis belli experimentis, hinc

F E R T.

Ferro Effringes Rabiem Turcicam. vel

Feros Ense Retundes Turcas.

Vt semel expuleris Cypro furialia monstra,
Et victà intrepidus Victor ouaris humo:
Effringes rabiem diro mucrone Scytharum,
Vt se desertis finibus abstineant.
Fide tuę dexterę, Europam post terga relinque;
Quære alios orbes, non satis iste tibi est.

Propagato igitur gloriarum tuarum copiosissimò semine, tuę virtuti nè quidquam gloriosi deesse videatur, ideò

F E R T.

Fama Eternum Regnabit Tua.

Ergò vbi radices passim insinuaueris altas,
Ac tua deuictum texerit vmbra solum.
Miti adeò fęlix regnabitur Insula sceptro,
Vt meliùs tanto sub Duce floruerit.
Sic propera Cyprum fęcundaturus: vt illinc
Germinet æternum fama habitura decus.

Adeò celebri augusti nominis splendore conspicuus auitas Magni CAROLI EMMANVELIS primi æmulatus virtutes, nè vlli quamuis secundus possis esse secundus

F E R T.

Fauente Empireo Reges Tuos.

Bellorum meditare vices, durumque laborem
Accinge, vt valeas fata secunda sequi.
Hoc virtutis iter, per & auia, & inuia fortem
Ferre pedem, & quidquid corripere horribile.
Nàm semel vt latè populorum fręna tenebis,
Rectè illos, Cęlo subueniente, reges.

Ex hac regnandi dignitate, seu quadam iuxtà Lipsium diuinitate, tàm alię augustissimi nominis tui pręrogatiuę fulgescent in Apogęo virtutum constitutę, vt apud omnes nationes etiàm exteras habearis veluti

F E R T.

Fœlix Exemplar, Regumque Titan.

Mòx placidum regimen latus mirabitur Orbis,
Sentiet ac magnum numen inesse sibi.
Nàm sub te rerum causas Astręa librabit,
Ac faciles populi iura, fidemque colent.
O Regum fęlix exemplar, & vnice Titan,
Quàm benè Saturni sęcla nouata refers?

F E R T.

Fœnix Eris Rediuiua Tonantis.

Sic Atauos imitère tuos, ac flecte benigno
Imperio populos, quos tibi subdit Amor.
Nestoreę metam, precor, egrediare senectę,
Indè petas serus feruida signa Poli.
Silicet aurati Fœnix Rediuiua Tonantis,
Funeribusque tuis ambitiosus eris.

Ex hàc nusquàm peritura tuorum preclare gestoru memoria sublimatus tàm altè cupiteris, vt immortalitatis confinia sis ingressurus.

F. E. R. T.

Fortunatus Ethereum Regnum Tenebis.

Tot gestis ergò euectus stellantia Regna
Accipies, sedem quà Libra iusta tenet.
Nàm loca si Septem scandis vicina Trioni,
Aut partem oppositam, quà furit Auster, adis;
Sentiet Axis onus: medio sic orbe quiesce;
Debetur meritis hęc plaga sola tuis.

Tot Heroicarum virtutum tuarum non ignara MARIA IOANNA BAPTISTA CAROLI AMEDEI à Sabaudia Nemurrij olim Ducis inuictissimi filia non degener tibi plurimùm sanguinis necessitudine, atq; animi amplitudine simillima obueniet in sponsam à Cœlo destinatam, vt eà fœliciùs ac fęliciùs obstetricante communis Familię immortalitati consulatur. Vellem hîc nonnullas eiùs corporis, animiq; egregias dotes delineare, vt gratissima membrorum simmetria componitur, vt sagacissimi pollet ingenij viribus, vt clarissimis summę Pietatis

radijs effulgescit; nè tamen vltrà meum propositum peruagari videar paucis me absoluo, propterea

F E R T.

Fæmina Erit Regia Tibi.

Regali de Stirpe tuà tibi nubet Amazon,
Cuius magnanimo gratia in ore micat.
Hæc fugit imbelles artes, fortesq, requirit
Summos Heròas progenitura tibi.
Nimirum virtus vnita est fortior: vno
Fonte fluit soboles dignior, ac melior.

Hoc faustissimo animata Sabaudia Himenęo, imò tot futuris Heròibus vniuersus orbis illustratus ęternam sibi fęlicitatem congratulatur, dùm intereà

F. E R. T.

Fabricat Eternitas Regnum Tibi.

Pellęo Iuueni spatiosi Machina Mundi
Parua fuit: mundos quæsiit indè alios.
Nil tamen inuènit, mortis nisi pallida Regna,
Hinc obscuratum condidit Vrna decus.
At pręb es vni dùm tot spectacula mundo,
Eternum Regnum fabricat ille tibi.

Pro-

Propagata demùm tot gloriarum tuarum luce puriſ-
ſima, relictis Regno Semideis, parta Italię fęlicitate
non ignem à Sole, Promethei ad inſtar, ſed totum
ignitū Empireum à Phœbo æterno nobili rapinâ
ſurripies, vbi pro tuorū cētupla mercede meritorū,

F. E. R. T.

Fortuna Eternabit Res Tuas.

Perge, triumphati Capitolia ad alta Tonantis
Euchere, vt palma nobiliore mices.
Nàmque ibi conſtituunt ſedes tibi fata quietas,
Et gemmis rutilam, ſyderibuſque domum.
Sic Fortuna Tuas Res Eternabit, & amplo
Cęlorum inſcribet maxima geſta libro.


Hactenùs, ampliſſimi Patres, vt ad vos tandem ali-
quandò reuertar, de Allobrogico FERT fuiſſe me
vaticinatum ſufficiat, nè tamen vatidicè potiùs,
quàm veridicè hùc vſque locutus videar, accipite
ſingulares eius laudes, ornamenta certiſſima, pręco-
nia inaudita. Iamdudùm tanti Stemmatis gloria ſe-
neſcere videbatur, cùm Amedeus VI. Equeſtrē An-
nunciationis ordinem prudentiſſimè conſtituit, toti
orbi terrarum quaſi nullum eſſe ſuę ſtirpis eo nobi-

bilius elogium annunciaret. Quocircà non immeritò cũ in Vrbe Sebusiana CAROLO IIII Imperatori præstaret obsequium è sex Vexillis istud vnum discerpi, lacerarique prohibuit; vt pote iniquũ, atq; iniustum omninò censeret, insigne illud prosterni quod ãteà fuerat Allobrogicę Maiestati adeò subli me fastigium. Neq; minùs Emmanueli Philiberto nunquàm delerę, aut delendę memorię cordi fuit, quippè (recuperato vix Regno) confestim penè eclypsato ordini pristinum splendorem restituit; vt pote ardentissimè signum illud efferre cuperet, cuius in se Vaticinium euenisse iàm senserat. Nàmquè FERT. FILIBERTVS EMMANVEL RECVPERABIT TOTVM, fęlicissimè ominabatur. Neq, tantum fefellit pręsagium, siquidem totum penè Regnum à CAROLO III. Patre amissum, imò violenter ereptum pedissequis illicò virtutibus comparauit. Detur hoc potissimum Cruci quaterno litterascenti elogio, quæ vbi toties Allobrogicis euecta fuit Heroibus, non potuit non eosdem identidem quassatos euehere, nè in terris tàm magnanimo pijssimorum Principum patrocinio destitueretur. O igitur nos terq; quaterq; beatos, qui sub tãto degimus Principatu. Equidem hìc prudentes maiores nostros

appe-

appellare non desino (Conciues ornatissimi) qui in AMEDEO VII. venerabundi signum hoc non modò materialiter, sed etiam formaliter, ac virtualiter nobilissimum agnouere. Illorum ergò beneficio fruamur, æmulemur fortitudinem, qui toties præstantissimum huiusmodi Vexillum summa in Arce veluti Capitolio tàm gloriose propugnarunt, congratulemur fortunę nostrę, quę inter eos illaqueata caractéres summum gloriarum apicem pręstolatur Neq; nos terreat Martialis etiamnùm clangor circùmstrepens, quippè tùm maximè sperandum, cùm inter angustias desperandum videtur. Habemus siquidem Ducem Regium Magno Auo tàm nomine, quàm rebus gestis simillimum, qui spes nostras erigat, profligatum Regnum restituat, Cœlo inferat, siuè inferat Crucigerum, atque hęreditarium

F E R T



DE NICAENAE VRBIS LAVDIBVS

LACONISMVS

Icęam, ſeu Niciam Patriam noſtram NN. ſemper inclitam, ſemper laurigeram, ſemper Auguſtam agredior locuturus potiùs, quàm elocuturus, obſequio illam proſecuturus, quàm aſſecuturus elogio. Abeant igitur Rhetorum Sirenulę, abeant Charites, abeant Veneres, Hiſtorici ſiquidem munia potiùs, quàm Oratoris mihi exequenda, cùm ipſum thęt ſubiectum ſatis ex ſe conſpicuum omnem fucatę orationis colorem detrecter, ac delibuta verborum linimenta dedignetur. Quandò enim laudum ſegetes ſterileſcunt, tùnc eloquenti fictione, ac ficta elocutione Rhetores fertileſcant. Quùm verò encomiorum ſeges vberrima luxuriatur, pauca tùm ſeligant, ac metant, nè, vbi plura dixerint, plurima dicenda ſuperſint, aut, vbi congerere multa ſtuduerint, inconcinnà, incongeſtàque congerie non benè laudatarum rerum obruátur. Sìc ipſe impręſentiarum, nè exuberanti materiei ſuccumbam, pauca dùmtaxat de innumeris, faciliora de arduis in tanta patrię laudationis fęcunda-

ditate decerpam. Vobis igitur breui Nicęam in primis vetustate Originis nobilissimam, deinceps pacis, belliq; artibus clarissimam, tùm denique vbertatate soli fęlicissimam ostendam, dùm tamen placidas mihi vestri fauoris auras prębeatis, & aures, nec balbutientem elinguis eloquentię linguam contẽnatis.

Quoniam igitur mihi ab antiquitate originis exordiẽdum proposui, ad memoriam quæso reuocate longęuam illam seriem pręteritorum sęculorum, quibus vrbs Cemellia gloriosissimè floruit, fastoso theatro spectabilis, Romanę ęmula maiestatis, tot mõtibus coronata, par Cęlo, quę toties crebra fortunę varietate iactata, tandiù restitit imperterrita, inexpugnabilis, inconcussa, donec fatali Lõgobardorum furore vastata, nè penitùs interiret in Nicænã Vrbem sese refudisse à nonnullis perhibetur. Quorsum verò hec? Nùm ab illius exitio nostra suscepit initium. Altiùs profectò progrediẽdum huiusce vrbis cunabula vestigãti. Millenos enim, eòq; ampliùs annos geminę simul vrbes viguerunt, æternisq; gloriarum splendoribus irradiarunt. Quamobrem alij sexies centum ante Virgineum Partum annis conditam à Massiliensibus huc appulsis Nicæam autumarunt, dùm Barbaros Persarum insequẽtium furores

effu-

effugerent, inq; huius inaccessi Montis confugerent verticem, vt effrœnem eorum petulantiam retręnarēt. Verùm, vt quod sentio breuiter exponam, tùnc ab illis dùmtaxat incrementum, non exordium, suscepit, quippè hùc non sic incauti accessissent, ni aliquod propugnaculum, quo defenderentur, pręcauissent. Videbat, ni fallor, Massilia, Gręcorum Colonia, Sapientiæ Licæum, virtutum Emporium, videbat inquàm sui nominis decus persępè dedecorándum, ideò illud in hac inexpugnabili Arce, celsissimoque Pharo, ne caligaretur, occlusit, Vrbique iam pridem existenti (cuius nomen ignoratur) suos benè ominatura triumphos Nicì, Victorię nempè titulum, aut Nicitiria Victorum pręmia impertiuit. Sortitam tamen alij nomen à Nicio Laerte clarissimo Duce credidère, qui pugnaci, indomitęque Ligurię fręnum iniecturus hùc nauigauit cùm magnâ Hetruscorum manu, Vrbemq; quã inuenerat, proprio nómine insigniuit. Quamquam censeo ab illo nuncupatam, qui ferreis harpaginibus, rostratisq, coruis Chorintiacam, & Siracusanam Classem lacerauit ac victrici semel cursu fretum Italicum peragrauit. Quin imò à Gręcis, seù Phocęnsibus constructam, dùm Massiliam, quã sui fundarant, studiorum, indè

Italiam, negotiorum causa, veherentur. Neq; sanè temeritatis argueter, si dicerem nostram Vrbem paulò post Alexandi tempora conditam, nàque ille primum apud Indos, deuicto Poro eorum Rege, in signum Victorię Nicæam extruxit, quem lelithotos reliquę imitatę nationes apud Bythiniam, Illyridem, Thraciā, Corsicam, Leuctros Bęotię, Locros Epicnemidios, Alpes Ferreas, nostrumque Varum plures Vrbes sub hoc victrici nomine quasi fœlici omine propagarunt.

Verùm si vetusta Patrię nostrę ornamenta desideratis clariùs intueri, Plinium accipite, qui iàm tùm cùm Genuam Oppidum, Nicęam Vrbem nominauit Strabonem, qui cùm de insignioribus Italię Ciuitatibus meminisset, secundam à Roma nostram gloriosissimè recensuit. Tacitum, qui Iulij Agricolę matrē hùc opiparam suam Basilicam transtulisse non tacuit. Gallos Scriptores, qui Nicæam antiquissimam Massiliensium Coloniam, atq; adeò totius Prouincię caput appellarūt: Quiritum Annales, qui Nicęā sui quondam fuisse Coloniam, nec non Pręfectum eodem tempore, quo vicinum Cemellium, habuisse testantur, vt sanè hinc maximam vetūstissimę Vrbis excellentiam depromeremus. Addite insuper (quod

 nos-

nostrę Vrbis laudibus coronidem imponere posset) proprios, vt idem Cemellium (cùm iàm Christi nomen terris vix innotuisset) Episcopos obtinuisse, quod sanè creditu difficile foret, nisi dudum vna, atq; altera Ciuitas peranti quę claritatis radijs sese spectabiles prębuissent. Et sanè non nisi vndequàq; inclytam decebat esse Nicęam, quę mox Ecclesię Imperium, Imperio Cęlum, Cœlo primos Imperatores erat datura. Hìc nempè à D. Pontio, nè dicā ad astra Ponte lustrales vndas Philippi Cęsares Christianorum Imperatorum Antesignani susceperunt. Hęc igitur præstantissima nostræ Vrbis origo prodijt, hic gloriosissimus Natalium splendor effulsit, hæc decora vetustæ nobilitatis argumenta nituerunt.

At cùm nō minus armorum etiam luce ab initio Nicęa claruerit. Quoties Deus immortalis, quoties inquàm dira in eam fatorum incrudescentium procella desęuijt? Quoties tamen eadem immanes elusit, quin imò elisit Furiarum tempęstates? Pręteréo cana illa tempora, vel potiùs remota sęcula, quibus ea recèns constructa radices profundiùs egit, licet ventorum hinc indè prælantium impulsa tumultu quateretur. Equidem potuit eā ab incunabulis sors identidem radere, non eradicare, quippè tamquàm

reci-

recisa Laurus sobolescebat vberiùs, aut veluti secata portentorum Hydra fœcundiùs propagabatur. Ardebat bellorum incendium inter Ottomanos, ac Vitellianos (cum de summo certaretur Imperio) combusta tamen ab illis Nicæa potiùs vegetabatur quàm vastaretur, flammis illustrabatur, quàm fumigatione sordidaretur. Proponite postmodùm mēti Longobardicam illam nubem, & plusquàm ætnęum flammarum exundantium turbinem, quibus tota penè feruebat Europa, vndè Cemellentium opes & oppida teterrimè conflagrarunt, tota deflorescebat Italia, tuta florebat Nicæa, totius orbis potentia extinguebatur, vnius Vrbis vigor magis, magisq; accendebatur. In memoriam deinceps reducite Romanorum in duros Ligures, & Ligurum in æmulos Massilienses toties decertata bella, è quorum incendio non modò aridi montes, sed fretum etiam depopulatrices flammas conceperat, cùm nostra tamē Patria celsitudine maior Atlanțe ingruentes calamitates, sęuientemq; fortunam sublimi vertice superaret. Quid referam de piratica Maurorum excurtione, quibus tota penè Italia coercebatur, cùm sola eos Nicæa coerceret? Quid de Aragonio bello, quo vicina Regna latiùs vexabantur? cùm Medu-

ſęo quaſi clypeo dimicātes Niciēnſes aliorſùm cruē ta bellorum mōſtra conuerterent. Quid de inuętecrata, ęternaquē vicinorum ęmulatione, ne dicam ſimultate, quibus ſuprema Vrbis poteſtas, depreſſá multoties, non opreſſa iacuerat? quandoquidem cū expirare illa videretur, cò maximè reſpirabat, cùm immergi, emergebat, cùm anguſtari, auguſtabatur. Ecquis neſciat ęrūnoſa Ladislai Neapolorum Regis infortunia, pro quo Nicęa tot claſſes inſtruxit, tot bella ſuſtinuit, donec ab eodem, vt ità dicam, emācipata Allobrogico Sceptro non armis coacta, ſed amore coarctata vltronea ſui deditione procubuit. Tùnc equidem omnes in eam vti coniuratę Furiæ infremuerunt, atq; adeò dentibus infrenduerūnt, ſed tantorum Principum munita præſidio, propriàque firmata virtute prçclariſſimè triumphauit. Hìc Memoria quæſo amplectiminor proximè elapſum ſœculum, quo tantis vexata Sabaudia bellis hoſtiliū armorum ceſſerat feritati, non ceſſit Nicęa, ſed fidū Principibus ſuis aſylum ſe prębuit, ac penè ereptū Carolo I I I. cognomento Bono diademá reſeruavit. Videbat porrò illa (cùm Paulus I I I. Pontifex Maximus diſcordes animos compoſiturus hùc acceſſiſſet) videbat inquam, imò præuidebat cęcos inſta-

ſtare tumultus, fraudemque, & operta tumeſcere bel la, ideò Philibertum dùmtaxat Emmanuelem Principem iuniorem admittens in Arcem, vanam iniquè molientium fiduciam reſecauit. Neq; verò illam diù fortuna quieſcere voluit; quippè efferatis iterũ animis hoſtes crudelius exęſtuarunt, vndè accerſitis im manium Barbarorum furijs, non ſecùs quàm prędaces Harpyę hùc appulere, quo noſtras Arces euerterent, Portum primò Herculeũm ſubiugarunt, nè cathaphracti indè Gygantes proſilirent, hinc indè cinxere męnia ferrea formidabili corona quò Montem ipſum terrificarent, circũmrugiente metallo pasſim Vrbem implacabiliter euiſcerabant, quò effrænatæ diritati viam aperirent. Non tamen deffecere animis Nicienſes, ſed Hectorea dudùm pectora exhibentes pro Principe, ac Patria vel acriter dimicarunt, vel glorioſè ſub tanto malorum Ilio ceciderũt Interea crebrò arietati eos muri fefellerunt ruinis fatiſcentibus, cùm illi nihilominùs exuberantes hoſtium eluuiones corporibus ſuis tamquàm obiectis aggeribus intercluſerunt, ac gemina indè Vexilla reportantes cęleſti Amazone, veriùs Deipara propugnatrice triumpharũt. Ad extremum verò exhauſti, ac ſpe deſtituti Ciues, comitijs habitis, ſe ſe in arduum

um Montis verticem contulère, vbi affectatam de hostium quasi manibus Victoriam proripuerunt, non delapsa è Cœlo ancylia, sed propriam virtutem coruscantes. Tùm verò hostes atrà desperatione torpentes, ac sanguinarijs dentibus intrendentes totam penè Vrbē incendijs defformarunt, non tamen extinxerunt, quippè illa breui rutilo clarescēs in rogo non aliter, quàm immortalis Phœnix animato cinerum suorum funere reuiuixit. O igitur vires semper virescentes; ò viros non Cadmęo, sed cęlesti semine cretos; ò verè Aquiliferam vrbem, fidamq; Alpino Ioui armipotentem.

Sed quoniam non minùs decet litteris armari Ciuitates quàm armis decorari, Patres amplissimi, vos mea iàm compellabit oratio, quippè non multos ab hinc annos tantùm in alterutris pręstitistis, vt sitis, Cœsarum instar, vtrà laude præexcellatis, ambiguū posteris relicturi. Nāmq; cùm tota Pedemontium Rogio cētimanis Briarę is vexaretur, vos sine pugna hostium furorem vicistis, & Patriam vestram cunctando sine sanguinis effusione restituistis. Vòs tùnc in iugulum Ciuitatis strictam aciem retudistis, vos armatas inimicorum manus exarmastis, vos ardētes Eumenidum faces extinxistis, vos Vrbem à mortis

quo-

quodammodo faucibus vĕdicaſtis.Non enim Anni-bales iuueniliter exultantes, ſed Maximos viriliter conſulentes vos ità exhibuiſtis, vt veſtrùm prudenti fortitudine, fortiq;prudentia fortuna virtuti,virtuſq; fortunę indiſſolubili vinculo coniungerentur. Quamobrem non eſt modò, non eſt, cùr in poſterùm trepidet Nicęa, cùm tales viros pepererit quibus effectum, vt ipſa, cùm totus Orbis bellorum fluctibus agitaretur pręclaram,immortalemq; Victoriam ſine vllo prorſùs diſpendio ſit conſecuta. vincet illa ęternũ in armis, viuet in litteris, quippè vos ipſi armorũ Academiã,quàm à maioribus accepiſtis, ampliaſtis, litterarum verò & accepiſtis, & dediſtis,poſteros erudituri vtrãq; militiam amplectantur. Fœliciſſimam itaq, cũ Platone Patriam noſtrã mihi liceat ominari, vt pote illam aut Phyloſophi regatis, aut qui régitis phyloſophemini. Quod ſi (vt reliquas omittam facultates, ac ſcientias) Legũm maximè pręſidio fulciuntur Vrbes, quis ampliſſimum Senatũ, in quo illibata iura ſeruantur, accerſiuit? Vos ipſi. Quis doctiſſimum Iuriſconſultorum Collegium iam penè extinctum reſtaurauit? Vos ipſi. Quis hoc Iuriſprudentię Athenęum erexit? vos ipſi. Vos inquàm ipſi conſtituiſtis tot diſciplinarum offi-

officinam, in qua ad æternam Gloriarum famam præclara ingenia excudentur, religiosissimũ Astrææ delubrum, ad quod tot immortalitatis monuméta Doctores appẽdent, celeberrimũ Emporium, in quo non Ciues modò, sed & aduenę pretiosos virtutum thesauros negôtiabuntur, inclytum Musęum, vbi ingeniosę litterarij Regni Apes dulcissimè mellificabũt. O igitur Vrbem Musarum seminarium, veri usque Palladis sedem, bello, togaque clarissimam?

Quùm verò Musarum, litterarumq; cultores nõ modò armorum ad sui tutelam, sed aruorum etiam ad oblectamentum indigeant, superest mihi, vt, propositum prôsequens thema, Patriam vbere glebę fœlicẽ ostendam, in quo sanè non diù laborãdũ cẽseo, cùm ex se satis ipsa loci natura fidis omniũm oculis eloquatur. Quocirca Geographus acuratissimus in pulcriori mundi situ Nicęam cõstituit, cùm de illa verè dicatur: Ager non admodùm latè patet, sed ob collium amęnitatem, vbertatem soli, Cœli clementiam, qua nullum in Europa dicitur esse salubrius, omnino visendus. Et sanè si passim tamquã in specula oculorum aciem circumvibrẽ tot Permessia perspicio iuga, quot colles intueor, è quorũ scopulosis etiam pectoribus Bellerophonthæç veluti

ti fontium perennitates eliciuntur. Hic surgunt colles placidè ardui, quos Ver perpetuum beat: ibi Cemellię sublimitates Olympos ęmulantur: hic Alcinoes horti non Dracone terribiles, sed verno tepore spectabiles rident: ibi fœlicia Temple, ne dicā Thessaliæ Tempe, vel in placidos montium vertices assurgunt, vel in Elysias quasi valles protendūtur. Quid plura? Hetruscum, Ligurumque mihi videor videre colles; quippè feraces vbiq; virescunt oliuæ, vbique lętæ vitium propagines exultant, vbique victrices laurescunt rami, vbiq cedri floribus ornatę, ac fructibus oneratæ flauescunt. Sin verò pedem ex Vrbe referam.

Lata parùm vallis, sed mul-ùm lōga patescit
Saxifrago Paleone madens: hanc vndiq; colles
Perpetuo dorso cingūnt, vbi vere tepescunt
Arua, nec æstiuū patiuntur fulmina Solis,
Nec nimiùm diris Borearum flatibus horrent;
Amphytheatralem in formā protēditur ęquor.

Hinc ad læuam deflectenti sese mihi offerunt pulchrę arborum proceritates, castigata plantarum luxuries, ingeniosæ vmbræ, huiùs subacta, atque pura, suauitates odorum è floribus exhalantium, cō camerati Xysti, carceres arcuati, prata mira varie-

 tate

tate phrigiata, fontium loquacitates, diuitię virides, Cyprus fortunatissima tot Veneribus, quot Gratijs, tot Gratijs, quot floribus exornata. Quid dicam porrò, si vlteriùs progrediar, de protensa secùs Varú planicie, vbi Liberi Patris cum Cerere certamen initur, nec vini nobilitates, ac copiæ valent sinę Nomenclatoris opera numerari? Neq; solùmmodò hìc Tellus, sed reliqua etiam elementa de fęcunditate quodammodò certare videntur: Namq; omnigenas aues prodigus aer enutrit, squammosis Pelagus feruet cateruis, delectabiles cibos euisceratæ rupes atq; adeò Erythręas opes, si profundiùs vestigentur, subministrant: Quippè tàm benigna nobis irradiant sydera, vt puriores influxus, ac cęlestes desuper thesauros infundant. Quamobrem si modò Cęlum intueor, nullam video tàm turbidam diem, quę canoris auibus garriendi desiderium extinguat, nullam adeò crudelem auram, quę liberos argenteis riuulis cursus prępediat, nullum sic sęuum ac toruum astrorum aspectum, siuè radium, qui tacitarum aquarum vellere campos inspergat, nullam adeò rigidā anni tempestatem, quę maturescentia nobis fructuū gaudia retardet, aut genitalia soli spiramenta condenset. Sol enim stellatæ familię Princeps tanta nos-

trum

terum clima benignitate prosequitur, vt nullam pertranseat diem licet nigricantem, quin semel, deposita obsidentium nubium laruà, nobis officioso vultu prębeatur. Vndè non temerè, velut alij Rhodon, aut Heliopolim, hanc Solis Vrbem nũcuparem, imò solam, cui cecidit era tàm fęlix, ac beata amęnitas, vt palàm sit vno in loco gaudentis opus esse naturę, dùm quęcumq; alibi dispersa reperiuntur, hic omnia tanquam in proprio gazophilacio cumulatìm aggerantur, coaceruatìmque recolliguntur. O igitur Vrbem collibus amęnam, solo vberem, Cęlo fęlicem, rerum denique omnium cornucopia redundantem.

Verùm agite, Patres Amplissimi, quoniã nostra iàmdudùm Patria vetustate originis, ac generis claritate splendescit, armorum, & ingeniorum luce refulget, telluris vbertata diuitijs fertilescit, quid ampliùs in ea desideratis? Magnificentiæ Monimẽta? Ecce tot vbiq; sparsa Palatia, marmora Tiburtina, lemniscata Frontispitia, stemmata superbientia. Pietatem? Ecce tot augustas ædes, numerosa Cœnobia, renascentia Templa. Securitatem? Ecce turrim arduo sublimem fastigio, Acrocorinthon, congregatam nempè vno in loco Arcium multitudinem, inconcussum Italię propugnaculum. Effusas

pa-

pagatim Regiones, & regionatim Pagos? Ecce tot Oppidis, imò tot Vrbibus, ne dicam Orbibus coronatam Nicæam Maiestatem? Ecce sub Allobrogico Imperio sceptrigeram Regnatricem, ac fortunatissimam Berecynthiam. Relegon' nè tandem Diuinitatem? En Celsum, Bassum, Valerium, Valerianum, Deutherium, Vincentium, Otontium, Tryphonem, Hospitiũ, & innumeros alios verè Sanctitatis hospitatores, Ecclesiæ columnas, & columina, Fidei Athletas, & Atlantes, Miraculorum Taumaturgos.

Omnes Cęlicolas, omnes supera alta tenentes.

At verò cùr illi nimium sublime, atq; adeò in immensum meam protraho orationem? cùr innumera nequicquàm numerare contendo? cùr potius in tanta epiniciorum vbertate non sterilesco? vos agite solum, viri Patres, &, meo iam sterilescente ingenio, cunctis virtutibus fertilescite, vos pares maioribus vestris animos retinete, vos deniq; Patriam, quam dicendo non potui, operando decorate immortalis

Gloriæ Coronamento.



